
DE VARIA INCREATAE, CREATAEQ. NATVRAE SECRETA RATIONE.

PERLVCIDA DECLARATIO.

SECRETVM TIBI.



TIBI SECRETVM.

ROMAE,

Excudebat Typographos Camerales. MDCI.

AVCTORITATE SVPERIORVM.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS.MO D. D. PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISS. AC PATRONO COLENDISS.

F. PAVLVS CARRARIA CASALENSIS, Sacræ Theologiæ Lector Ordinis Prædicatorum, Humilimus, ac Deditissimus Seruulus S. P. P.

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROVERB. XXV.

GLoria non solum Dei, sed & Regum, ac Principum omnium est Verbum ipsis absconditum, ac secretum celare. Non enim quod Dijs, hoc omnibus concedendum, Deorum tantùm dicebat Plato sunt omnia, Dijsq; Amicorum. Sola namq; Amicitia, quæ non nisi bonitate comprobatur, ratio, radixvè reuelandorũ secretorum est. Quod Christus sua doctrina patefecit, cum ait Io. 15. *discipulis, Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis. Hæc mecum ipse cogitans Illustriß. ac Reuerendiß. Præsul, Cui opportunius dicarem, quæ de varia ratione secretorũ tegendorum, detegendorũvè differenda Theoremata decreui, occurrit illicò Ampliß. Dominatio tua. Cũ enim*

ſumma, quæ in terris ſunt egregiè ſis aſſecutus, vt veluti Theſaurus videaris ſecretorum, Principum totius Chriſtianæ Reipublicæ, omniumq; optimatum, (quod Amicitia, ac probitate comparaſti) tibi merito, & alia ſecretiora committũtur. Cui quæſo, niſi de Deo ſemper loquenti, ac in corde verſanti, vt nunquam à labijs cor diſtet, Dei Arcana debentur? Et cui, quæ Chriſti ſunt, commodius quam ei qui chriſtianorum tutela eſt deuouentur? Cui, quæ Angelorum, niſi alteri Angelo, nũcio inquam, ac latori pacis inter diſcordes omnes, etiã ſupremos Principes iuſtius exhibẽtur? Et cui demũ ſecretorum moralium ratio potiori Iure, quam ei qui lex, normaq; morum omniũ exiſtit, conſecrantur? Tua hæc ſunt Humaniſsime Antiſtes, Tibiq; magis quàm alteri iſthæc debentur. Accipe igitur Colendiſſ. Patrone, quæ de varijs ſecretis à tibi deditiſſimo cliẽte, ac ſeruulo iuſſu ſuorum Superiorum offeruntur. Benignoq;, ac ſereno vultu intuere, Animum potius quàm laborẽ ſpectãs. Memineriſq; illud Plinianum. Et Dijs lacte ruſticos, multaq; gentes ſupplicare, & mola tantum ſalſa litare, qui thura nõ habent. Nulli ſiquidẽ vitio vmquam fuerit, qui Deos, quo poſſent modo colerent. Hinc gloria etiam aliorum ſit Regum ſermonem tuorũ meritorum latius in tui laudem inueſtigare. Quod faxit Deus, qui te diuturnum Mundo concedat.

Vale. Vberiora an potero?

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROVERB. XXV.

ARGVMENTVM OPERIS.

DEQ. DIVERSA RATIONE Secreti. CAP. PRIMVM.

SEcretorum ſecreta eſt ratio, inquiunt Iuriſcõſulti, Secretũ .n. quaſi ſeparatũ, & Arcanũ ab actu arcendi, quò nimirũ indigni ab eorũ ſcitu, & inueſtigatione arcẽtur dictum eſt. Quod Philippides ille Lyſimacho Regi gratiſsimus ſapiẽter admonuit. Siquidem à Rege rogatus quidnã ſibi vellet ſuarũ rerum impartiri; Reſpõdiſſe fertur. Quid vis ò Rex: modò ne quid Arcani. Difficillimũ quippè eſt ea reticere quæ minimè opus eſt, quãdoq; efferri. Vnde Socrates, faciliùs dicebat imperitis, & malis homini-

bus flammã ore inardentem contine re,quã Arcanum. Secretum. n. velare,aut pro ratione reuelare,ad eximiã spectat prudẽtiã. Secretũ etiã seruare de re propria,offitiũ est cõtinẽtię, ac charitatis,de aliena,fidei. Detegere il lud quãdoq; actus nõ solũ charitatis, sed Iustitię. Est insuper secretũ,seruo rũ erga Dominos regula, Cõseruatio amicitię,Augumẽtũ boni publici,Fo mentum omniũ virtutũ,Anima Cõsiliorũ, Tutela Principũ, Concordia subditorum,gloriatio Dei. Gloria .n. Dei est celare Verbũ, sicut gloria Regũ inuestigare sermonẽ. Ideſt, hoĩes gloria Deum afficiũt,si celẽt eius verba,& mysteria quędã, nõ facilè om-
Mat.7. nibus propalãda:nè sanctũ detur canibus,nec margaritę proijciãtur porcis. Qui enim secretiora Diuinarũ rerũ

mysteria,

myſteria occultant rudibus, & indignis, eius res ſe magnificare declarant, dum ſtudioſe curant, ne quæ in Dei rebus ſunt honoranda, ab indignis videantur, contemnantur, & dedecorentur. Quinnimo (ait quidam Interpres) Deum non habere ſuperiorem, aut parem, cui rationem reddere cogatur declarant, ſed Dominium eius, & Iuſtitiam, à ſola illius voluntate pendere, & non ab homine aliquo, aut quauis creatura. Sic autem facere non pertinet ad honorem Regum, & quorumuis Iudicum humanorum, ſed ad illorum ſpectat ignominiam ſi non ſint parati ſuorum iudiciorum, & factorum rationes declarare, nempe quare ſic, vel ſic iudicent, aut faciant; Imò, & Deum omnia ſcire ex hoc vno profitentur. Quare optime dicitur: *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inueſtigare ſermonem.* Caet.

Verum hocnè omnino ſeruandum, vt quæ ad illius honorem ſunt reticeamus? Sacramentum certè Regis abſcondere bo-

Tob. 2. num est, opera autem Dei reuelare, ac confiteri honorificum est. Quæ enim ad laudem Dei, necnon Principum gloriam quovis modo cedere possunt, propalare honorificum est. Saltem pro loco & tempore apud pios maximè & fideles pro vniuscuiusq; captu, & affectione. At, inquis, quæ secretorum tegenda, detegenda ve? stateram quæso ne transiliamus, sed quod equum est in medium proferamus.

Coecis illuminatis cominatus est IESVS
Math. 9. dicens: Videte nè quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt illum per totam terram illam. Quod ergo Dominus præcepit taceri virtutes suas, (inquit Grego-
19. Moral. rius) Seruis suis sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficient prodantur inuiti. Volebat siquidem quantum ex se erat gloriã fugere, & hanc voluntatem præcepto taciturnitatis significabat; nolebat tamen absolutè, hoc est, omnibus consideratis, ta-

ceri, Vnde né illa publicantes miracula, peccarunt. Et vt à bonis, bona semper discamus, & à summo pręceptore optima documenta, Radicem semel aperiamus. qualia enim rerum principia, talem sortiuntur & naturam; procedunt autem virtutes à naturali lumine, peccata verò ab ignorantia. Nam omnis prauus ignorat. Sunt ergo virtutes suaptè natura dignæ, quæ palam fiant, peccata verò sunt celatu digna. Vnde mos scripturæ est peccata vocare tenebras, virtutes verò lucem. Dilexerũt hómines tenebras, magìs q̃ lucẽ. Abijciamus opera tenebrarũ, & induamur arma lucis. Imò Christus præcipit, vt luceant opera nostra (nempe virtutũ) coram hominibus. Natura ipsa hoc edocente, dum ea quæ in nobis imperfectiora sunt contecta esse voluit; Faciem verò voluit, contra, patere. Vt meritò dicatur. Nè gusteris quibus nigra est cauda. Redeuntes igitur ad inceptum, vtinam gratum sermonem, secretum multiplex dicimus: Aliud

3. Ethi. cap. 1.

Ioan. 1.

Rom. 13

Math. 5.

tegendum, detegendum aliud. Istud adhuc multiplex. De quo primò. De alio demum dicendum erit.

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROV. XXV.

DE DEITATIS SECRETO, Cap. Secundum.

MAXIMA Dei gloria est verbum suæ Diuinitatis celare. Ea enim sola est, quæ nulli naturæ obediens, aut subiecta est, omnemq; regens ipsa naturam. Omnium in se claudens perfectiones, ab vniuersis separata, omnibus occulta. Et vt cum patientissimo dicamus, quam omnes vident, ac intuentur, sed procul. Om-
Iob 36. nes

nes inquam vident, quia veritatis tanta vis est, vt nemo possit eam, vel cœcus ingerentem se oculis Diuinam claritatem non intueri. Omnes eam vident (ait Gregorius) quia omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse; quem nimirum iam videre, est Dominationem illius ratiocinando conspicere. Hanc summi ingenij viri attigerunt veritatem, ac penè tenuissent nisi eos retrorsum infucata prauis opinionibus consuetudo rapuisset, quâ & Deos alios esse opinabantur. Quod enim notum est Dei, idest quod cognoscibile est per rationem, notum esse potuit illis per ea, quæ facta sunt intellecta inuisibilia illius conspiciendo. At nemo malus hoc sciet, dicebat Plato: Quare defecerunt scrutantes scrutinio, nimiùm proprię adhęrentes suasioni. Ait verò; omnes illum intuētur, sed procul. Procul quippè intueri est illum non iam per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum

27. Moral. cap. 2.

Rom. 1.

5. de legibus.

Ps. 63.

operum ſuorum admiratione penſare. Videre ſiquidem eſt tranſcendentem omnia, eius eſſentiam ex ratione colligere, at eius opus ignorare. Dubij nimirum de eius eſſentia non ſumus (Inquit Gregorius) & tamen in eius iudicijs incerti remanemus. Patet quod ſummum eſt; abſconditur quod minimum. Minus quippè ſunt opera eius quam ipſe, & tamen agentem cernimus, ſed in actione caligamus. Tanto ſiquidem ab eius ſcientia longè repellimur, quanto eius potentiam nos comprehendiſſe ſuſpicamur. Accedat quantumuis homo ad cor altum, eò amplius magnitudinis immenſitate exaltabitur Deus. Ideſt exaltatus ſuper omnia dignoſcetur: ipſum eſſe reuera tantùm conſpiciemus, non quid eſt: ſed quid per extentum funē diutius laborare? Rem omninò perdifficilem, ac ſimul facilem proponimus. Difficilem quia haud facile omnes laqueos effugere, vbi nec tantillum aberrare licet. At quia ſapientiam loqui exiſtimamus in-

ter

ter perfectos, sapientiam cum Religione componamus. Nec enim sine religione sapientia, nec sine sapientia religio probanda est. Dicamusq; Deum esse quo maius excogitari non potest, sine nomine vnus. Vnus enim nomine non eget, non certe proprio opus est vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo. Et tamen vnoquoq; gaudet nomine. Vt vel sic, pluribus circumscribamus, quem vno minimè valemus. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Verùm non quod omnibus contingit, Diuina ex summa illius bonitate, reuelatis nobis mysteria aperiamus. Hic vnus pariter, & trinus est. Vnus in essentia, Trinus in personis, Autor vnus est omnium. Vnus ingenitus Deus Pater, ex quo omnia: Et vnus vnigenitus Dominus IESVS Christus, per quem omnia: Et vnus spiritus Donum in omnibus. Sic enim optimè cum religione sapientiã comprobabimus, Vt vnica gaudens simplicissima ratione in seipso Deus, in se emi-

Lact. cap. 1. lib. 1.

Iob ibidem.

Hil. de Trinit. lib. 2.

nentiori

nentiori, quo non valemus excogitare modo, claudit quicquid absoluti, quicquid respectiui.

Gloriā igitur nosipsi Deo exhibeamus: hanc summam de qua diximus Diuinitatem indignis occultando (non enim Sus quiuis hoc norit) & gloria sit Regum, idest Theologorum inuestigantium ex iam fidei reuelatis sermonem, sermonibus congruentibus hanc sua natura occultam Diuinitatem.

QVOD optimè D. Thomas, à prima Primæ partis quæstione, vsque ad quinquagesimam facit. Quarum quæstionum veritates, ac conclusiones pręcipuas certamini proponimus.

Quid in Arcanis?

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROVER. XXV.

DE INCARNATIONIS SEcreto. Cap. Tertium.

GLORIA Dei eſt celare Verbũ in carne aſſumptum, vt meritò dicatur. Verè tu es Deus abſconditus. Nulla ſiquidem capit mens Sacramentorum altitudinem, Donorum numeroſitatem, Vnitatis vinculum, & Immenſitatem charitatis, quæ inter diuinam, & humanã naturam mirabiliter cõcurrunt: Omnis caligat intellectus, Ratio excluditur, miratur cœlũ, venerãtur cęlorũ Militiæ, tãtorum Arcana myſteriorum fari nequeunt. Et tamen tacenda non ſunt. Gaudeat nihilominus homo in hac ſuperari materia. Cuncta namq; Diuina ſunt, quæ in ipſa ſunt. Nec doleat non capere, quod credere compellitur. Nulla hominis facundia, nullus humanus explicat

sermo, excellentiam vnionis Diuinæ, humaneq; naturæ: Quia nil maius quam Deum fieri hominem. Sed quid clausis incubare thesauris dicet quispiam? Quæ
Eccl. 20 vtilitas thesauri abstrusi, & sapientiæ abscondita? Veneretur quæso quisq;, quę dicimus, Nè equus sessorem suum quandoq; rapiat. Qui enim spiritualia, & Diuina carnaliter intelligit, cęcatur à luce. Ex dulcedine amarescit, & proprio mucrone se perimit. Ad suæ notitiam veritatis Diuinus sermo humilem, rectè credentem, simpliciter ambulantem, & ardenter amantem, admittit. Cęteros verò tamq̃ indignos se, foris stare permittit. Gloria siquidem Dei est hoc infandum cęlare Verbum, At gloria etiam Regum, qui semetipsos regere norunt est inuestigare; idest intus per vestigia, ex quo verbum caro factum est, in terrisq; visus est, & cũ hominibus conuersatus est, sermonem iã palàm factum declarare, Vt saltem Dei Maximi dignationem attingere valeant.

Semel

Semel igitur accipiamus, & intelligamus. Humana etenim natura, quæ prius iacebat deformis, & contemptibilis vt adultera, nunc ad Diuinitatis Thronum euecta, residet vt charissima sponsa. Et quæ antea Diaboli tirannide præmebatur vt serua, Nunc supra omnem Beatorum spirituum eleuatur gloriam, & venerabiliter honoratur vt Regina. Totum hoc fit quia Deo copulata est, quia Verbi sponsa est, vna persona, & vnus Emanuel. Verbum Dei manens cum Patre, nostra suscepit, propria non amisit; In homine hominem renouat, & in se incommutabilis perseuerat. Sic enim formam serui accipit, vt formam Dei in qua æqualis est Patri non amittat. In forma namq; serui quam assumpsit, minor est Patre, & in forma Dei æqualis est Patri. In forma Dei Verbum, Deus de Deo, Lux de luce; In forma serui natus ex muliere, factus sub lege. In forma Dei fecit hominem; In forma serui factus est homo. In forma Dei Dñus An-

gelorum; In forma serui, licèt Angelorũ
Ps. 8. Dominus ab eis tamen paulominus minoratus. Suscipiendo enim humanitatẽ, non amisit Diuinitatem; factus humilis, mansit sublimis. Tanto mimirum fœdere
Leo in Nat. Dñi vtramq; conseruit naturam, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Ex Deo Dei filius secundum veritatem Diuinæ naturę, & ex homine hominis filius. Non autem duo filij, sed vnus filius confitendus est. Non verbum in carne conuersum, aut mutatum, sed carne vt carnalibus congruenter appareret indutum. Ita sanè factum, vt non tantum ibi sit Dei verbum, & hominis caro, sed etiam rationale animal. Atq; hoc totum Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. Et tanta est vtriusq; naturę vnio, vt totus dicatur Deus, totus homo. Et vicissim homo Deus; Deus homo. Quis ergo non admiretur magnum hoc pietatis opus, Admirabile Sacramentum, Arcanum à

seculis

feculis abſconditum? O' Dei maximam gloriam in celando Verbum hoc, in carne hac noſtra. O maximam Regum, ideſt Theologorum gloriam, quibus datũ eſt huiuſmodi inueſtigare ſermonem. Vt igitur ęqualia reddamus in pugna capita, A linea minimè excidentes, ſeu ab inſtituto aberrantes;

QVOD Regum, videlicet Theologorum eximius D. Thomas ſua tertia parte, à prima vſque ad vigeſimã ſextã diſſerit queſtionem de antecedentibus, concomitantibus, ac conſequentibus vnionem hãc ineffabilem, omnes ſcilicet principales ſingulorum articulorum Concluſiones defenſioni tradimus, ceu veras, ac catholicas.

Quid raperis homo manens?

GLORIA

Gloria Dei est celare Verbvm, et gloria Regvm investigare sermonem. Prover. xxv.

DE SECRETO NATURÆ Angelicæ. Cap. Quartum.

NON modica Dei gloria eſt celare Verbum naturæ Angelicæ. Verbum ſiquidem pro eo quod verbo efficitur non ſemel in ſacra ſcriptura vſurpatur. Ea verò quæ facta ſunt, non vnica ratione facta ſunt. Quædam enim eminus vt intelligibilia, & quæ à ſenſibibus remota, Quædam cominus vt ſenſibilia, hiſq; propinqua à nobis conſpiciuntur. Duo namq; fecit Deus (inquit Augu-
Aug. 12 conſ. c. 7 ſtinus) vnum propè ſe, videlicet Angelũ; Aliud propè nihil, materiam inquam primam. Hæc ſua potentialitate, illa ſua ſumma actualitate perdifficilem ſui reddit captum; vt compellamur dicere, quæ ſupra nos, nihil ad nos. Solis lucem, quis

non

non agnoſcit non alienę lucis indigere ſuffragio, ſed ſibi ipſi ſufficere, oculumq; non bene diſpoſitum, ad illius intuitum allucinari? Et ſi de naturalibus cogitans intellectus noſter, parum proficit, & ad latentes rerum cauſas perquirendo non venit; quid de inſcrutabilibus, naturæque occultiſſimis rebus cenſendum erit? Succumbat neceſſe eſt. Reddere de minimis rationem neſcit, quid de magnis proferet? Imò cum ſeipſum homo non ſapiat, quomodo alia ſapere poterit? Ne quicquam ſapit, qui ſibi non ſapit, aiebat ille. Verùm, quia quæ difficilia, ipſa & pulchra; ex vmbra in ſolem quoquomodo iter faciẽtes; (In magnis quippè voluiſſe ſat eſt;) Angelos præclaros forma, Scientia plenos, Vitæ ſpiritualis, Ab omni labe corruptionis extraneos, Vitam habere indeficientẽ, à morte, corruptione, & generatione mundos, Præcipuo intelligendi acumine ornatos, à rebus diuiſibilibus cognitionem non congregantes, neq; diffuſis ſermonibus ab

aliquo

aliquo comuni ad iſta ſpecialia, quæ apud nos ſunt deſcendentes, nil naturalis excellentiæ ex tempore amittentes, non ex vſu defatigatos, non ex loco præpeditos; Et ſi de bonis ſermo ſit, vt par eſt, ex Dei viſione Beatos, non per elationis vitium ex meritis intumeſcentes, ſed ex quotidiano intelligendi vſu ſemper proficientes, rediuiua ſemper in Deum cognitione lętantes, Dicimus. Quid plura? Quare ſi cum Minerua (Deo inquam opitulante) manū admouere liceat? Amplius. Angelorum naturam in cœlo, in ipſo mundi exordio ab authore omnium conditam eſſe, non beatam, ſed beatificandam, ſemper mobilem, arbitrioq; liberam, incorpoream, Deo miniſtrantem, immortalitatem ſuſcipientem ſecundum gratiam, non ſecundum naturam, aſſeueramus. Gaudet eſſentiæ ſubtilitate, Intelligentiæ perſpicacitate, Liberi arbitrij facultate, Diſcretione perſonali, Virtuoſitate in operando, Officioſitate in miniſtrando, Et poſt electionem ſiue

in

in bono, siue in malo immutabili firmitate. Ad quod enim se vertit inflexibilis est. Hanc Deus condidit mirabiliter, & iuxta immutabilis sapientiæ suæ legem distinxit per ordines, & singulis ministeria propria, actusq́; diuisit; & nomina, & numero nouem sunt, vt ex sacris eloquijs habetur. Sine his nostra deperiret vita, virtus deficeret, iaceret animus, repelleretur oratio, proprioq́; careret propugnatore, ac cooperatore.

Verùm, & in his reperit Deus prauitatem. Lucifer siquidem in corde suo se erigens, Diuinitatis honorem, Principandiq́; Dominium concupiuit, suimet immoderato amore deceptus, sibi pro muneribus conditoris complacuit. At etiam vltio eum reperit diuina. Querens enim obsonium, vt aiunt, propriæ nimirum excellentiæ, vestem perdidit gratiæ. Et quid nisi victis dolor? flet victus, victor, dum vincit hominem, interijt. Gloria igitur Dei est huiusmodi celare Verbum. At gloria

Regum Theologorum, ex sacris litteris inuestigare sermonem, à Deo reuelatum.

Qvod egregie D. Thomas prima parte à questione quinquagesima, vsque ad quinquagesimāquartā; Et à questione centesima sexta, vsque ad centesimādecimāquartā inclusiuè; Quarum veritates principaliter intentas in vnoquoq; articulorum prælo disputationis damus.

Quid proprio niteris Marte?

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROVERB. XXV.

DE SECRETO HVMANÆ Naturæ: Cap. Quintum.

INGENS Dei gloria est celare Verbum, idest naturam humanam, solus enim ille eā sapit, qui illam condidit. Verè siquidem secreta, quia homo ex duabus

rebus

rebus conſtat, Corpore, atq; Anima, quarum alterum terrenum eſt, alterum cęleſte. Duæ vitæ homini attributę ſunt; vna temporalis, quæ corpori aſſignatur, altera ſempiterna, quæ Animæ ſubiacet: Primã naſcẽdo accipit, ſecundã laborãdo aſſequitur. Illa terrena eſt ſicut corpus, & ideò finitur; hæc verò cęleſtis ſicut Anima, & ideo terminum non habet. Illam primam neſcientes accepimus; hanç ſecundam ſcientes. Virtuti enim, non naturæ datur, quoniã voluit Deus vitam nobis in vita comparare. Idcircò hanc nobis præſentem dedit, vt illam veram, & perpetuam, aut vitijs amittamus, aut virtute mereamur. Inter præclara quippè ornamenta, quæ Diuina bonitas homini præſtare dignata eſt, rationis iudicium, ac diſcernendi acumen arcem tenet. Eſt enim donum quo cęteris vtimur ad ſalutem, Virtutum profectũ, Delectationem vitæ, Gloriam conditoris, Cumulum meritorum, Decorem naturæ, Fraternæ charitatis vnitatem, & ad omne

quod est vtile, quod delectabile, quod honestum. Tolle ab homine rationẽ, & erit tamquam Nauis in medio æquoris absq; gubernaculo, ac directore, quæ demum redigitur vt tota dissipata, atq; destructa; vel putrescat in littore, vel comburendi tradatur incendio. Vniuersa hæc mala (si diligenter perspexerimus) reperimus in homine, qui rationis abutitur dono. Tantoq; deterius, quanto deordinatio agnoscitur maior, iactura grauior, atq; detestabilior finis. Nauis siquidem finis est, vt expleto suo ministerio dissoluatur, hominum verò sine ratione degentium est interitus sempiternus (per quæ enses, per quæ ignem irrumpens) Non tamen talis est ipsorum naturalis finis, neque originaliter instituta conditio. Ad hoc quippè plasmatus est homo, vt proprium cognoscat authorem, agnoscendo diligat, atq; diligendo sic viuat, vt quandoq; illo fruatur; ipsiusq; ineffabili fruitione Beatus existat. In hac corporali vita non est summum, quoniã

sicut

ſicut neceſſitate Diuina nobis data eſt, ita rurſus Diuina neceſſitate ſoluetur. Quod enim finem habet, ſummum bonum non habet. At putre ſalſamentum (hæu miſeri) amat origanum. Veritas inquam per ſe placet, honeſta per ſe decent; at falſa fucis, turpia phaleris indigent, vt delectent. quid dicam? imò vt decipiant. Sic iſta quæ intuemur viſibilia, animum ad ſe alliciunt, colore bona, ſapore peſſima. In ſola igitur illa ſpirituali quam per nos ipſi acquirimus vita, ſummũ bonum cõtinetur, quia nec malum poteſt habere, nec finẽ. Verum dicamus: Terra arida ex ſe imbrem expectet, ſic homo nequaquam ex ſeipſo idoneus ad Deum cognoſcendum, & amandum gratiam quærat. Eſt enim Deus ſpiritus, ſubſtantia inuiſibilis, inaceſſibile lumen. Hac nimirum de cauſa ſpecialiter homini diſcretionis prærogatus eſt vſus, vt quod à ſe minimè obtinere valet, hoc petendo à Deo bonorum omnium largitore conſequatur. Hac fortaſſis ratione,

tione, non statim quando natus est homo rectus ingreditur, sed quadrupes primo; quia ratio corporis, & huius præsentis vitæ communis est nobis cum mutis animalibus. Post deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua eius in eloquium solui tur, & mutum animal esse desinit. Docemur ergo mortalem nasci hominem, postea immortalem fieri cum cęperit ex Deo viuere, idest, iustitiam sequi, quæ continetur in Dei cultu, cùm hominem excitauerit Deus ad aspectũ Cœli, ac sui. Quod tunc fit cum homo cęlesti lauacro purificatur. Quid igitur metum metuis homo inanem? Cur acetum in pectore portas? Cur ex fronte tibi collatum non prospicis auxilium? Si cum cęteris animantibus terrena declinando, cur cęlestia cum Angelis te erigendo non intueris? Prauũ equidem cor hominis, & inscrutabile, & quis
Hier. 17 cognoscet illud? Cęlum sursum, & terra deorsum, & cor Regum, idest hominum qui se regere possunt inscrutabile. O' se-

cretum

cretum ſecretiſſimum homo. Gloria eſt Prou.25
Dei hoc celare Verbum, & gloria Regum Theologorum inueſtigare, per ea quæ ex ſacris litteris habentur de homine, ſermonem, de eius eſſentia, quidditate, actione, gubernatione, quò ad animam, & corpus, deq́; illius inſtitutione, prolisq́; generatione, &c.

QVOD opt. D. Thomas à queſt. ſeptuageſimaſexta, vſque in finem primæ partis aperiendo Arcanum facit.

Quid eſt homo vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum? Eccl. 2.

GLORIA

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM. PROVERB. XXV.

DE SECRETO MORALI, & Christiano. Cap. Sextum.

GLORIA Dei est celare verbũ, id est gloriam Deo exhibemus, ac præstamus celando verbũ nobis concreditum, ac commissum, & gloria Regum theologorum, est inuestigare sermonem quomodo, qua ratione, qua intentione, quo fine, quandove sit detegendum. Hactenus de secretis detegẽdis, nunc de tegendis dicendũ est.

Vniuersa siquidem opera Dei valde bona esse persuasum habemus, ac eo omni laude digna. omnia enim rectè facta in luce se collocari desiderant, & non nisi indignis occultanda veniunt. Id autem de nullo hominum dici potest, cum nemo sit, qui & si multa habeat laude digna, non tamen etiam habeat quædam repræhendenda.

Aug. de Ciu. Dei cap. 14.

denda. Ex eodē quippe ore frigidum & calidum: Et in manu linguæ vita, & mors. Quare vt quidā Poeta dicebat: Prou.8

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra grauis culpa est tacenda loqui.

Nè igitur mōstrū alere videamur, silētij virtutē esse dicimus, nō semper tacere, sed illa sola quę loqui non licet. Quod ègregiè sanctus patefecit Propheta, cū in Ps. 38. dicit. Dixi custodiā vias meas, vt nō delinquam in lingua mea. Nō vt taceā (inquit) sed vt nō delinquā. Extremū ergo silentiū fugiendū. Quicūq; tamen sapientiæ verba vtiliter fari desiderat, in silētio prius discat intus, quod postmodū viua voce foris loquatur. Re quippè vera nullus scit fructuose loqui, qui ignorat prudēter tacere. Taciturnitas nāq; bene loquēdi principiū est. Tollerāda nimirū vitia: & vt dicebat quidā: Mores a-

lin E mici

mici noueris, nõ oderis. Non nosse .n. amici vitia, est hominis parũ diligẽtis quos diligat; odisse, parũ ciuilis. Noscenda sunt vt aut corrigas, aut certè minuas. At nõ sic, vt ab ea videaris amicũ odisse. Siquidẽ nulli futurus est amicus, qui nihil vitiorũ in amico ferre posſit. Tunc.n.lis (vt aiunt) seritur de lite viciſsim. Verũ quia fictilis homo molis, imbecillis, ac fragilis, neq; rectũ vnq̃ tortile lignũ; .i. qui semel inueterauit in vitijs, rarò fit vt ad bonam redeat mẽtẽ; Tẽperandũ vtiq; à maledictis. Cęterum cui prodesse nõ obesse potest, prò causa secretũ ẽt cõmiſsũ detegendũ est. Vbi.n. cõposita est lingua, ibi nil potest eſse occultũ. Effrenata verò lingua nullo cõſiderationis moderamine religata, oẽm mẽtis vnitatẽ diſsipat, & occidit. Suauiſsima equidẽ est vita, si sapias nihil. Nã sapiẽs

nil,

nil, doloris est expers malũ; Si vero sapias, cum rõne sapias. Nemo. n. sapiẽs, qui verborũ suorũ pondus nõ discernit, existimandus est. Priusq̃ proferãtur diligenter examinãda sunt verba: cum. n. indiscussa emittantur, sine reprehẽsione esse nõ possunt, prout suggerit animus imprudẽs loquitur. Hinc Regnorũ destructio, Prouinciarũ dissipatio, Ciuitatũ dissolutio, Mẽtis cõfusio, Honestatis denegatio, Cõscientiæ perturbatio, Vinculiq́; charitatis abhominabilis ruptio, Morum oĩum violatio: Deniq; mala oĩa, & ignis vniuersę iniquitatis oriuntur. Secretũ ergo crimen, quod nulli nisi peccãti perniciosum est, secreta admonitione corripiendũ est, & vbi nullũ sit recidiuã di periculũ, illic sistendũ. Reuelare aũt in bonũ ipsius peccantis, tũ Reipublicę omnino necessariũ est. Maledictus

.n. Ca-

Gen.9. n. Canaã, quia Patris reuelauit pudẽda. Maledicti qui exiguũ malũ, ingenti bono preferunt. Quod rectè de secreto morali intelligẽdũ est, secus de Christiano, seu vt satius loquamur de sacramẽtali, quod nulla ratione, nulla causa, nullo motu, nullius imperio, aut cuiusuis cõminatione detegendũ est, etiam cũ propriæ vitæ dispẽdio.

De oĩbus secretis qua ratione tegẽda, quave detegẽda, multũ lepide Dominicus Soto, in suo quẽ edidit libello de rõne tegẽdi, & detegẽdi secretũ, cuius conclusiones, quæ numero sunt octoginta duę, certamini tradimus.

An extraneo secreta committenda?

HÆC pauca pro virili proposita sint in certamen nutu, & nomine Adm. Reu. Patris Magistri, ac Regentis Almi studij BONONIENSIS, Patris Fratris PETRI MARTYRIS VRCEANI, ad DEI, VIRGINIS, omniumq; BEATORVM laudem; Pro Prouincia vtriusq; Lombardiæ, in solemni celebratione Comitiorum Generalium ROMÆ celebrañ. Anno 1601. Die Iunij.

Satisfaciet obiectis idem Fr. PAVLVS CARRARIA, pro ingenij sui tenuitate.

VTINAM.